

- ut ēst ille bonu' vir, tria non commutabitis  
 verba hodie inter vos." *DE.* quis tē ūstaec iussit loqui ?
- 640 *CH.* immo non potuit meliu' pervenirier 35  
 eō quo nos volumus. *AN.* occidi ! *DE.* perge eloqui.  
*GE.* a primo homo insanibat. *CH.* cedo quid postulat ?  
*GE.* quid ? nimium ; quantum libuit. *CH.* dic. *GE.* si  
 quis daret  
 talentum magnum. *DE.* immo malum hercle : ut nil pudet !
- 645 *GE.* quod dixi adeo ei : "quaeso, quid si filiam 40  
 suam unicam locaret? parvi retulit  
 non suscepisse : inventast quae dotem petat."  
 ut ād pauca redeam ac mittam illi(u)s ineptias,  
 haec denique eiu' fūt postrema oratio :
- 650 "ego" inquit "[iam] a principio amici filiam, 45  
 ita ut aequom fuerat, volui uxorem ducere ;  
 nam mihi veniebat in mentem ei(u)s incommodum,  
 in servitutem pauperem ad ditem dari.  
 sed mi opus erāt, ut aperte tibi nunc fabuler,
- 655 aliquantulum quaē ādferret qui dissolverem 50  
 quae debeo : et etiamnunc si volt Demipho  
 dare quantum ab hac accipio quae sponsast mihi,  
 nullam mihi malim quām ūstanc uxorem dari."
- AN.* utrum stultitia facere ego hunc an malitia
- 660 dicam, scientem an imprudentem, incertu' sum. 55
- DE.* quid si animam debet? *GE.* "ager oppositust pignori ob  
 decem minās" inquit. *DE.* age age, iam ducat : dabo.